



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xvij. De Appellationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

Dantur & casus alij, in quibus licet sententia in rem transierit iudicatam, differenda nihilo minus erit executio: utputa, si non protelandi causa in integrum restitutio petita fuerit, & alij plures.

*a* cap. suscitata. ext. de integ. resti.

## DE APPELLATIONIBUS,

### TITVLVS XVII.

Quid sit appellatio, & quare inuenta hoc dicit.

**A**ppellandi vsus praecipue iudicantium iniquitate corrigit, & imperitiam detegit. Est autem appellatio iurisdictionis prioris iudicis per superioris inuocationem legitime facta suspensio: vel, Appellatio est prouocatio ad maiorem iudicem ratione grauaminis illati, vel inferendi.

*Appellatio alia extraiudicialis, alia iudicialis. Et de iure Canonico etiam extra iudicium appellatur, quae appellatio prouocatio dicitur.*

Appellationum duae sunt species. Aut enim extra iudicium appellatur, aut in iudicio. Extra iudicium appellatur, cum quis ante litis ingressum ab aliquo grauamine appellat, utputa ab electionibus, postulationibus, pusionibus, & quibuslibet extraiudicialibus actibus, ex quibus se grauatum putet. Licet enim seculares leges non, nisi in casibus, ante sententiam appellationem admittant: sa-

*b* cap. cum sit. §. si uero. extra co.  
*c* cap. conuentioni. co. tit. in 6.  
*d* cap. super eo. el. 2. ext. cod.

cri tamen Canones etiam extra iudicium passim appellare permittunt: nec solent huiusmodi dici proprie appellationes, sed prouocationes.

*e* d. cap. cum sit. ext. cod.

*Appellatio iudicialis diuiditur in duas species. h. d.*

Rursus in iudicio appellatur, aut ante diffinitiuam sententiam, aut postea. Antea appellatur, ut cum ab interlocutoria, vel alio grauamine prouocatur. Postea, ut cum ab ipsa diffinitiuam sententia appellatur.

*Appellans ab interlocutoria, debet in scriptis appellare, & intra triginta dies apostolos petere, et exhibere continentes causam appellationis, aliam causam censetur deserta. h. d.*

Multum autem interest, ab interlocutoria quis prouocet, vel alio grauamine, an a diffinitiuam: nam primo casu, & causam appellationis in scriptis assignare, & a iudice infra triginta dies instanter petere debet literas dimissorias, & eidem intra dictum temporis spacium debet ab eodem iudice exhiberi, continentes & appellationis causam, & cur appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsitan ex superioris reuerentia sit delatum. Alioquin si eos intra idem tempus appellans petere praetermittat, appellationi suae renunciaisse putabitur, etiam si vadat, aut mittat ad appellationem huiusmodi prosequendam.

*f* cap. 1. cod. tit. in 6.

*g* cap. ab eo. co. tit. in 6.

Ponit



Ponit tres casus, in quibus ob non petitos apostolos causas deseritur. h. d.

a Clem. 2. eo. tit. in prin.

Idem iuris est, si iudex, à quo appellatur, certum terminū appellanti ad recipiendos apostolos assignauerit, & appellans in assignato sibi termino non compareat, nec eos sibi tradi petat: idem & si iudex appellanti responderit intra iuris terminū se daturum, nec intra dictū spacium congruo loco & tempore instanter & sæpius saltem vno contextu petierit, vel sibi oblatos appellans recipere recusa-uerit.

Taciti & expressi eadem est uirtus. h. d.

b Clem. 2. §. fin. cod. tit.

Quòd si iudex in termino p eum præfixo ipsos petenti non dederit, aut si dum peterentur, vel intra iuris terminū, vel nullo certo termino præfixo, se daturum asseruerit, postea per appellantem congruo loco, & tempore, sæpius, & instanter vnico etiam contextu requisitus eos exhibere non curauerit, perinde propriam appellationē prosequi appellans poterit, ac si ei expressè fuissent apostoli dnegati. Alia quoque agenda erūt, prout ex tenore tam Innocentianæ, quàm aliarum constitutionum luculenter apparet.

c cap. 1. cod. tit. in 6.

In appellatione à diffinitiuā non est necesse causam inserere. h. d.

d cap. 1. uers. is qui. ubi glos. eo. tit. in 6.

In appellationibus autem à sententia diffinitiuā interponēdis nec causam reddere tenetur

appellans, nec etiam supra dicta diligens obseruatio per omnia sibi locum vendicat.

In appellatione ab interlocutoria debet talis causa allegari, quæ si esset uera, reputaretur legitima. h. d.

Cum autem ex probabili causa ab interlocutoria quis duxerit appellandum, talem tenetur proponere, quæ si probata fuisset, deberet legitima reputari, de quo postea superior cognoscet: nec enim sufficit appellanti probare, quòd ex causa huiusmodi appellauit, si eam non doceat esse veram, nisi hoc se offerens probaturum non fuisset admissus.

e cap. interposita. in prin. cip. ext. eo.

Is qui minus rationabiliter appellauit, condemnatus in expensis ad inferiorem iudicem remittetur, nec potest quis alias causas prosequi, quàm expressas. h. d.

Quòd si iudex minus probabiliter appellatum esse compererit, appellantem ad inferiorem iudicem remittet, & in expensis alteri parti condemnabit, alioqui ipse procedet, nec licebit appellanti alias causas prosequi, quàm quas in appellatione sua nominatim expresserit.

f cap. cum appellationibus. eo. tit. in 6.

Si dicitur ex iniusta causa appellatum, iudex ad quem, inhibere non potest, nisi prius recepta appellatione, ut probabili, incipiat cognoscere de cause ueritate. h. d.

g cap. Romana. §. quòd si obijciatur. cod. tit. in 6.

Quòd si obijciatur, nõ ex legitima causa ante sententiam appellationem interpositam,



& propterea non admittendā esse, nisi prius appellatio recepta, velut emissa ex causa probabili, iudex superior cognoscere incipiat, ne procedatur, inferiori prohibere non poterit.

*Cessante causa cessat effectus. h. d.*

*a* cap. cū cessante. extr. eod. tit. Sed & si iudex sano vsus consilio<sup>a</sup> ab eius executione destiterit, quod comminando, vel in terloquendo in grauamen partis protulit, non obstante, quod ab huiusmodi comminatione, vel interlocutione prouocatum fuerit, ne processus negotij frivolis occasionibus retardetur, in causæ cognitione liberè procedere poterit.

*Iudex à quo, compellere non potest appellan-  
tē à grauamine ipsius ueritatem probare,  
licet citare possit ad ipsius reuocationem audiendam, qua facta in causa procedere poterit eius contumacia non obstante, ac si nunquam appellasset. h. d.*

*b* cap. si à iudice. eo. tit. in 6. Sed<sup>b</sup> videamus, an ius dicenti obtemperare tenearis, à quo propter grauamen, quod tibi illatum asseris, appellaueris, si tibi is ad docendum de grauamine, & si de ipso liquerit, ad eiusdem reuocationem audiendam terminū præfixerit: & sanè cum id ipsum à iudice perspiciendū sit, nec coram eo de grauamine docere, nec etiam tanquam coram iudice (cum per appellationē eius suspensa sit iurisdictio) comparere teneberis. Quod si tantum, ut reuocationem audi-

as, te vocandum duxerit, licet non compareas, ipse tamen in termino grauamen reuocauerit, perinde in causa procedere poterit, ac si appellatio nunquam fuisset interposita.

*Potest appellan-  
tem ab interlocutoria pœ-  
nitere, & facere, ut prior iudex cognoscat, sed  
appellato sunt rescindendæ expensæ, quas is fecit ob appellationem. h. d.*

Ac veluti in potestate iudicis grauamen reuocantis positum est, non obstante appellatione causam resumere, sic contrā, si is, qui vocem appellationis emisit<sup>c</sup>, cuius adhuc nemini est demandata cognitio, petierit, ut ad iudicem, à quo prouocauit, rursus causa remittatur, id ei alterius partis contradictione minimè obstante indulgendum erit. Sed hoc ita, ut in legitimis expensis aduersario, quas eum propter hoc fecisse con-  
terit, condemnetur.

*Ponit quàm plures casus, in quibus appellationi non est deferendum.*

Non omnis ergo appellatio indistinctè recipienda erit: nam siue ad eò sit vaga, & generalis<sup>d</sup>, ut incertitudinem asserat, siue quod omisso medio sit interposita, à parte opponatur, causa non deuoluetur. Idem iuris est, si super notorio crimine<sup>e</sup>, vel de quo quis in iure confessus fuit, prouocetur: nec enim ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiae est appel-

*c* cap. interpo-  
sita. d. ille.  
extr. eod. tit.

*d* cap. 2. c.  
cap. consu-  
luit. el. 2.  
extr. eod.  
*e* cap. cū sit.  
d. fina. c.  
cap. perue-  
nit. c. cap.  
seq. extr. co.  
tit. cap. Ro-  
mana. d. si  
aut. eod. tit.  
in 6.



appellationis remedium institutum.

Regulares non appellant à correctione sui prælati. Nec à iudice seculari sedi Apostolicæ non subdito appellatur ad Papam. Et qui non defert legitimæ appellationi, puniuntur. h. d.

cap. ad nostram. et cap. reprehensibilis. extra. eod. tit.

Et ideo nec regulares<sup>a</sup>, cum pro aliquo excessu corrigendi fuerint, contra regularem prælati sui, vel capituli disciplinam appellabunt, sed quoddam sibi pro salute iniungitur, humiliter suscipient: sed nec tunc appellationi deferendum erit<sup>b</sup>, cum à seculari iudice, qui temporali sedis Apostolicæ iurisdictioni non subijcitur, ad Apostolicum appellatum fuerit: & alijs quibusdam casibus. Alioqui is, qui legitimæ appellationi etiam de minima causa<sup>c</sup> interpositæ nõ detulit, Canonicis pœnis coercendus erit<sup>d</sup>.

cap. de appellationibus. extra. eod. tit.

cap. de prioribus. ubi gloriatur. extra. d. tit.

Appellans ab Ordinario potest coram eodem super alia causa conueniri. h. d.

cap. ad hæc. extra. eod. tit. cap. præter ea. el. 1. eo. tit.

Licet autem prouocatione Canonice à partibus interiecta, iudicis, à quo appellatum fuit, officium in illa quidem causa penitus conquiescat, si<sup>e</sup> tamen is, qui ab Ordinario appellauit, super alia causa coram eodem conueniatur, præsertim pro graui, & manifesto crimine, appellationis obtentu, quo minus Canonica censura puniatur, effugere non potest.

Innouata per iudicem post diffinitiuam sententiam, à qua appellatum fuit, reuocantur sta-

tim per iudicem Apostolicum, etiam si ante appellationem fuerint innouata. h. d.

Interposita ergo à diffinitiuam sententia appellatione, non solum post eam innouata<sup>f</sup> debet per iudicem appellationis penitus & ante omnia reuocari: (exceptis tamen casibus, in quibus iura post sententiam prohibent appellare) sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam, & appellationem contigerit innouari, perinde ac si post appellationem innouata fuissent.

cap. non solum. extra. eod. tit. in 6.

Attentata post appellationem ante diffinitiuam non reuocantur, nisi primò de ueritate constiterit, uel nisi post inhibitionem debito modo factam attentata fuerint. h. d.

Illæ uero, quæ post appellationem interpositam ante diffinitiuam sententiam innouantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, reuocari non debent, nisi iudex appellationis, postquam sibi constiterit, per appellationem emissam ex causa probabili fore ad se negotium deuolurum, inhibeat Canonice iudici, à quo appellatum fuit, ne procedat: tunc enim, quidquid post inhibitionem huiusmodi fuerit innouatum, est per appellationis iudicem ante omnia in statum pristinum reducendum, licet eandem causam non esse veram contingat.

d. cap. non solum. §. illa. extra. eod. tit. in 6.

Non refert, quid ex æquipollentibus fiat,



*Et facta plus operantur, quàm uerba. h. d.*

Appellasse autem dicitur nō solum is, qui vocem appellationis emisit, sed etiam qui aliquo indubitato facto prouocandi ppositum declarauerit. Vnde rescriptum<sup>a</sup> est, eum, in quē post iter ad sedem Apostolicam arrestum excommunicationis sententia ab ordinario promulgata fuerit, excommunicationis vinculo non teneri, quasi appellatione pendente lata fuerit, cū plus sit factum, quàm uerbo prouocare. Idem & in eo responsum est<sup>b</sup>, qui licet ex simplicitate fortè uerbum appellationis non expresserit, se tamen & Ecclesiam suam, cū molestaretur, Romani Pontificis protectioni subiecit.

*Iustus metus excusat adeo, quod non appellans habetur pro appellante, si fuerit protestatus, & causas appellationis expresserit. h. d.*

Is quoque<sup>c</sup>, quem quo minùs appellaret, iustus metus impedierit, ad appellationis beneficium conuolasse reputabitur, dum modò infra tempus, quo licitè prouocatur coram iudice, à quo appellasse uellet, uel si ipsius copiam habere nequie- rit, coram probatis uiris contestatione super hoc pposita causas appellationis expresserit.

*Sufficit appellare coram maiori parte iudicum. Et omnium actorū intimatio parti appellatæ est facienda. h. d.*

Quod<sup>d</sup> si à pluribus iudici-

bus appelladum fuerit, quia nō semper facillè corum præsentia simul haberi posset, coram maiori parte ipsorum appellare, & apostolos separatim petere licet, ualebitque; hæc appellatio p- inde, atque si coram omnibus interposita fuisset: omnium tamen subsequutorum appellatio ignorati intimatio legitime facienda erit.

*Si unus ex pluribus appellet, & obtineat in causa appellationis, prodest uictoria consortibus, si sit idem negotium, & causa h. d.*

Idem ex contrariis<sup>e</sup>, si plures una sententia condemnati fuerint, & unus solus ad appellationis beneficium conuolauerit, istius uictoria cæteris quoque suffragabitur, si communi iure iuuentur, idemque negotiū & eadem causam defensionis existat.

*Si per rescriptum committantur plures articuli connexi, & in uno remoueat appellatione, intelligitur remota etiam in alijs. h. d.*

Iam dubitari poterit, si ex pluribus articulis<sup>f</sup> unis precibus comprehensis in uno tantum contingat appellationem uerari, utrū appellatio teneat, si super alijs prouocatum fuerit: & cū delegantis hæc sit intentio, ut de omnibus articulis, qui in precibus ponuntur, iustitia suam consequatur effectum, in omnibus appellatio interdicta intelligetur. Vnde nihil intererit, utrū appellatio inhi- beatur in primo, an in secundo: in me-

*a cap. dilecti filij. cl. 2. extra. cod. tit.*

*b cap. ad audiētia. extra. cod. tit.*

*c cap. fin. extra. cod.*

*d dem. 1. co. tit.*

*e cap. pen. extra. co. tit.*

*f cap. secundo requiritur extra. cod. tit.*



medio, an in fine. Sed hoc ita intelligi oportet, si capitula connexa fuerint: cæterum a quoties clausula, per quã appellatio- nis remedium tollitur, in medio literarũ ponitur, si sunt plu- ra negotia se minimè cõtingen- tia, tantũ præmissa complecti- tur, nisi fortè & in fine literarũ prædicta clausula iteretur.

*Appellari potest, si locus non tutus parti- bus assignatur, uel sententia contineat manife- stam iniquitatem, etiam si sit rescriptum appel- latione remota. h. d.*

Interdum etiam non obsta- te prohibitione appellari pote- rit, vt decretum est<sup>b</sup> in eo, qui per delegatos iudices in iudi- cium ad locum non tutum vo- catus fuerit: nisi enim locũ ido- neum iudices assignent, non e- rit propterea appellatio- nis re- medium interclusum, quòd ap- pellatione remota procedi de- bere mandatum fuerit. Idem etiam obtinet, cùm sententia fer- tur iniqua: licet enim causa ap- pellatione remota cõmissa fue- rit, sententiæ tamen stari nõ de- bet, si iniquitatem cõtineat ma- nifestam.

*Lapso anno, & ex causa biennio, appella- tio est deserta. h. d.*

Illud tam iudiciali appella- tioni, quã ei, quæ extra iudi- cium interponitur, commune est, quòd<sup>c</sup> huiusmodi appella- tionibus annus, & ex iusta causa bi- ennium à die appellatio- nis in-

terpositæ indulgetur: quo tem- poris spacio & profèqui, & fini- re appellatio- nis causam com- pellendi erunt: alioqui si per ne- gligentiam<sup>d</sup> appellantis hoc te- poris spaciũ fluxerit, adeò cau- sa deserta censèbitur, vt etiam si appellans ipse cum appellato, aut appellatus etiam per se, & principaliter profèquatur, non propterea minùs in rem iudica- tam censèbitur transisse senten- tiã, à qua fuerit appellatum.

*Ponit casus, quibus tempus ad profèquendã non currit. h. d.*

Quamdiu<sup>e</sup> tamen per com- promissum, vel alias de partiũ expresso consensu differtur p- secutio, tempus ad profèquen- dam appellatio- nem ab homi- ne, vel à iure præfixum minimè currit appellati, nisi fortè iudex ex dilatione periculum immi- nere videns, in illa procedi præ- ciperet.

*Tempus datum à iure ad profèquendã ap- pellationem, potest breuari per iudicem ex causa. h. d.*

Et licet anni, vel biennij spa- cium appellanti- bus indulgea- tur, poterit tamen iudex à quo, secũdum locorum distantiam<sup>f</sup>, personarũq; & negotij qualita- tem breuius tempus moderari, intra quod si is, qui appellauit, causam appellatio- nis non fue- rit profècutus, tenebit senten- tia. Coget ergo iudex partes

<sup>a</sup> cap. inquisi-  
tioni tuae.  
ext. co. tit.

<sup>b</sup> cap. ex par-  
te tua. cl. 1.  
ext. cod. tit.

<sup>c</sup> cap. cum sit  
Romana.  
ext. cod. tit.  
can. si qui.  
r. q. 6.

<sup>d</sup> clem. pen.  
de appella.

<sup>e</sup> clem. quan-  
diu. cod. tit.

<sup>f</sup> c. p. c. si  
Romana. e-  
xt. co. tit.



*a* capit. ad  
hæc. el. 3. e.  
extra. cod.

appellatione non admissa<sup>a</sup>, vt  
vel appellationem interpositã  
prosequantur, vel coram eo iu-  
ris pareant æquitati.

*Quando periculum est in mora, debet iu-  
dex breuiare terminum prosequendæ appella-  
tionis. h. d.*

*b* cap. obla-  
tæ. §. supe-  
rior. ext. co.

Superior<sup>b</sup> quoque iudex si  
ex dilatione viderit imminere  
periculum, potest & debet neu-  
tro appellationem prosequen-  
te, vt periculum euitetur, occur-  
rere: putã si à sententia lata su-  
per confirmatione alicuius ele-  
cti prouocatum fuerit, & vtraq;  
pars velit etiam ad annum ap-  
pellationis prosecutionem dif-  
ferre, potest vtiq; imò debet  
is, ad quem appellatum fuit, p-  
uidè terminũ moderari, ne diu  
gregi dominico cura pastoris  
desit.

*Interdum ad prosequendam appellationem  
datur plus, quàm biennium. h. d.*

Accidit tamen aliquando, vt  
non per annum, vel biennium,  
sed etiam vltèrius causam ap-  
pellationis alicui prosequi con-  
cedatur, vtputã si quem per im-  
potentiam<sup>c</sup> prosecutionem om-  
mississe constiterit, vel cùm iu-  
dici ex proprio officio super  
causa electionis etiam lapsò bi-  
ennio cognoscere conceditur.

*c* cap. ex ra-  
tione. extr.  
eod.

*Pars potest sibi terminũ prosequendæ ap-  
pellationis breuiare, non prorogare. h. d.*

Pars quoq; interdũ sibi pro-  
sequendæ appellationis termi-

num præfigit. Sed cùm hoc gra-  
tialitium citiùs expediendarũ  
indultum fuerit, iuris terminus  
à parte præueniri, non proroga-  
ri poterit, sicut nec in vna causã  
tertiò prouocari licebit.

*Confirmatio in forma communi non præ-  
iudicat appellationi, nec laudum inualidum ra-  
borat, aut processionem impedit, sed obtenta su-  
per re ab aliquo pacificè possessa, facit ut quis  
non possit conueniri absque mandato sedis A-  
postolicæ. h. d.*

Postremò sciendum est, quòd  
si sententiam appellatione sus-  
pensã, ante quàm ipsius ap-  
pellationis causã commissa fue-  
rit, vel laudum contra iuris, vel  
compromissi formam latũ Apo-  
stolico rescripto in forma com-  
muni confirmari obtentum fue-  
rit, talis confirmatio nec appel-  
lationi præiudicium afferet, nec  
inualidum laudum vllò firmita-  
tis robore muniet. Nam etiã si  
ante latam sententiam litigio-  
sæ rei confirmationem ab Apo-  
stolica sede quis impetrauerit,  
non propterea minùs de causa  
poterit iudex cognoscere, & eã  
fine debito terminare. Quan-  
quam si rem pacificè quis posse-  
disset, cùm inde confirmationẽ  
obtinuit, non erit licitum iudi-  
ci de quæstione postmodũ ex-  
orta absque mandato sedis A-  
postolicæ decernere: nisi certũ  
sit, quòd per falsi suggesti-  
onem fuerit eli-  
cita.

DE